



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Megengavdivs C. 19. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

virtutem illum dederant , coheredes illos suos peramanter exceperat , dignatum natalibus suis mortem obiit. Sed amisit Ecclesia , vel cælo teste tunc columnam suam. Imò non atrofuit ; transfulit eò , ubi ipsa sese ædificat. Ex Menœt.

An non merito coronabitur , qui sic certaverit , mundum abiciens promittentem ; irridens inimicum tentantem ; & quod gloriosest est , de seipso triūphans & crucifigens concupiscentiam prurientem ? S. Bern. serm. 1. de Omn. SS.

S. MEGENGAVDVS C. 19. Decembris.

Illa demum vera nobilitas est , non pauciores virtutes , quam ceras quæ potest numerare. Potuit MAGENGOR Geldriæ Comes , idemque fortissimus militum dux , & hoc nomine Imperatori Ottoni II. cumprimitis chartis. E conjuge Gerbirge Zutphaniensi item Comite : cum filias .v. filium sustulisset unicum , hunc ipsum in primo ætatis flore , bello Bohemico amisit. Quid expetas ? scilicet lacrimas vel armato Marti exprimendas , & dignos patre gemitus ? viduos matris capillos , & lacerum planctu pectus & omnia alia audies. In funere filii mortuique vultu suum agnovere parentes , hoc est mortalem. Utique mortem lecturam maturos ætate fructus suos , quæ immatuos carperet : satis oppidò jam vixisse parentes , qui vixisse filium aspicerent. Convasare igitur MEGENGOR & in tuto locare impedimenta , opes , hoc est , in cœnobio , cui Adelhaidem filiam præfecit deponere ; ipse quoque animo à mundo abesse , cum non posset corpore ; castitatem deinceps cum conjugé colere ; lectioni sacrarum literarum se dedere ; denique in oculis nihil

præter

præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu conjugis tertio. Mortuus filiæ primò vius est, illa verba Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur justus, & nemorecogitat*; tum alteri deinde è virginibus regio habitu fulgens nuntiansque MEGENGORIS nomen in MEGINGAVDII sibi mutatum esse. *Ex vitâ S. Adelhaidis & Molano.*

Christi humilitas nulli aspernanda divitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum prouchi potest qualibet felicitas humana fastigium, ut astimet sibi pudendum, quod Deus in formâ servi non est arbitratus indignum. S. Leo serm. de Resurr.

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. Decembris.

SVb annum partæ salutis CCCLIII. Alexandriae eodem tempore in Christianos sævitum est, & in latrunculos animadversum; simili in longe dissimillimos supplicio. Fortè inter nomina hominum nomen delatum est Genesii. Hic quid extra culpam esset, facile se purgavit. Sed dum à latroni suspicione absolvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil negare jam Genesius, gloriari hoc facinore. Latronibus igitur sociatus, pejusque his ipsis habitus igne crematus est. Hoc verò supplici genere territus alius quispiam è Christianis, cùm nutare non dubiis signis ad tribunal impium videretur, ecce AMMON, ZENO & PTOLEMEVS (fortissimi milites) per medium agmen penetrare, & cùm verbis non possent, nutu labantem ad constantiam hortari. Itaque jam oculis annuere, jam manibus loqui, jam lacrymis & gemitibus clamare, jam toto corpore supplicare, ne indi-

gnum